



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Archiepiscopatus Et Electoratus Trevirensis

Abtei Sankt Maximin <Trier>

Avgvstae Trevirorum, 1633

Littera Mm. Moderni Domini Archiepiscopi constitutio Procuratorij ad
resignandum nuda. 16. Nouembris. Anno 1625.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62152)

Littera M m.

MODERNI DOMINI ARCHIE-
piscopi constitutio Procuratorij ad re-
signandum nuda. 16. Nouembris.

Anno 1625.

N. 495.
Abbatiam
S. Maximini ad Do-
minum
Electo-
rem vi Cō-
mendæ A-
postolicæ
pertinere.

N. 496.
Monachi
contrariū
esse con-
tendunt.

NOs Philippus Christophorus Dei gratia, Archieps
Treuirensis, Sacri Romani Imperij per Galliam &
Regnum Arelatense Archicancellarius, ac Princeps E-
lector &c. Tenore præsentium publicè attestamur. Cum,
orta nuper controuersia, intuitu Abbatia S. Maximini,
prope Ciuitatem Treuiren: Nos Eam, virtute Pontificij
diplomatis, sub onere pensionum, eo contentarum, ti-
tulo Commendæ (*binis sententiis Rota Romana confirmata*)
ad Nos spectare contendissemus; atque ex aduerso Ele-
ctus (*iisdem binis sententiis reiectus*). cæterique Religiosi
(*refractorij*) eiusdem Monasterij, hoc nomine, apud suā
Sanctitatem (*sed falso, & ideo ibidem dictis sententiis condem-
nati*) Maiestatem Cæsaream (*iudicem incompetentem*) præ-
cipuè verò, apud Serenissimam Infantem Hispaniarum
Isabellam, Cui, nomine Regiæ Maiestatis Catholicæ,
Ducatus Luxemburgensis, protectio memoratæ Abba-
tiæ (*ab Imperatoribus & toto Imperio, diuersis sententiis, subse-
cutisque confirmationibus Pontificiis cassata; postea verò per me-
ras violentias, & contra Constitutionem Pacis publicæ, ab Ipsis
Luxemburgensibus, ratione domus Burgundicæ iuratam, aduer-
sus SS. Pontifices & Archiepiscopos male usurpata*) incumbat,
conquesti fuissent; contendentes Eam, cum pensio-
bus grauari, aut Commendæ titulo (*utrumque falsum, &
in specie, quoad Monasterium S. Maximini aliter obseruatum*)
concedi non potuisse, citra præiudicium priuilegiorum
Sacri

Sacri Romani Imperij (*Casar & Imperium omnimodam Iurisdictionem* *secularem quoad Monasterium, in Archiepiscopos & Electores Treuirenses transtulerunt, vti eorum sententijs, rebus iudicatis & Regalibus probatur, utque ita omnia præfata Monasterij priuilegia per Capitulationem Casaream irrita sint & nulla*) dictæque Abbatix. Nos Philippus Christophorus Archiepiscopus antedictus, desiderio præfatorum Principum morem gerere, & studio pacis (*conditio sine qua nō; pacem scilicet Luxemburgenses ita cū Archiepiscopatu coluerunt, ut tertiam subditorum partem eiusdem interemerint, & multorum millionum damna intulerint*) difficultatibus Nos explicare cupientes, studuimus (*vi & armis iniustissimis, tum inermes circumcincti, meliusque fidentes; & tamen non aliter, Iure Apostolico tam grauiter in tota Germania laeso, nisi limitatè & conditionibus sequentibus*) memorato Diplomati, omnique Iuri ac titulo Commendæ, quod virtute eiusdem, super memorata Abbatia, Nobis competebat, aut competere poterat, renunciare; prout bona fide & meliori modo formaque qua id fieri potest, omnino renunciamus, tenore præsentium; Consentientes, ut in vim Procuratorij, quod eo nomine expediri curauimus (*Ecce tota promissionis substantia, quā tradito ad manus Luxemburgensium extorto Procuratorio, Dominus Archiepiscopus adimpleuit.*) eadem Commenda, obseruatis solemnibus, in manus suæ Sanctitatis resignetur; hoc fine, ut præfatum Monasterium, eo loci statusque reponatur, quo erat ante impetrationem Diplomatis eiusdem; irritis, quæ in contrarium acta sunt, signanterque processu Executorio; pro adimplatione prædictorum omnium, Nos proprio nomine & manuali subscriptione, Sigillique nostri subimpressione, in verbo Principis, obligantes. Signatum in Ciuitate nostra Witliaca, die decima mensis Nouembr. Anni millesimi sexcentissimi vigesimi quinti.

N. 497.
Dominus
Archieps
studio pa-
cis nudant
procurato-
rij Constit-
tutionem
ad resignā-
dum dat.

N. 498.
Vt obser-
uatis solen-
nibus, in
manus suæ
Sanctitatis
resignetur.